

## Il discorso della Natura

- Denique si vocem rerum natura repente  
mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa:  
“Quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris  
luctibus indulges? Quid mortem congemis ac fles?
- 935 Nam <si> grata fuit tibi vita anteacta priorque  
et non omnia pertusum congesta quasi in vas  
commoda perfluxere atque ingrata interiore,  
cur non ut plenus vitae conviva recedis  
aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
- 940 Sin ea quae fructus cumque es periere profusa  
vitaque in offensust, cur amplius addere quaeris,  
rursum quod pereat male et ingratum occidat omne,  
non potius vitae finem facis atque laboris?  
Nam tibi praeterea quod machiner inveniamque,
- 945 quod placeat, nihil est; eadem sunt omnia semper.  
Si tibi non annis corpus iam marcet et artus  
confecti languent, eadem tamen omnia restant,  
omnia si perges vivendo vincere saecla,  
atque etiam potius, si numquam sis moriturus” –
- 950 quid respondemus, nisi iustam intendere litem  
naturam et veram verbis exponere causam?  
Grandior hic vero si iam seniorque queratur  
atque obitum lamentetur miser amplius aequo,  
non merito inclamet magis et voce increpet acri?
- 955 “Aufer abhinc lacrimas, baratre, et compesce querellas.  
Omnia perfunctus vitai praemia marces;  
sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,  
inperfecta tibi elapsast ingrataque vita,  
et nec opinanti mors ad caput adstitit ante
- 960 quam satur ac plenus possis discedere rerum.  
Nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte  
aequo animoque, age dum, † magnis † concede: necessesst”.  
Iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque.  
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
- 965 semper, et ex aliis aliud reparare necessesst;  
nec quisquam in baratrum nec Tartara deditur atra.  
Materies opus est, ut crescant postera saecla;  
quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur;  
nec minus ergo ante haec quam tu cecidere cadentque.
- 970 Sic alid ex alio numquam desistet oriri  
vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.  
Respice item quam nil ad nos anteacta vetustas

temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.  
Hoc igitur speculum nobis natura futuri  
**975** temporis exponit post mortem denique nostram.  
Numquid ibi horribile apparet, num triste videtur  
quicquam, non omni somno securius exstat?